

actione percipitur. Atque hanc nostram opinionem tum Galenus ipse (vt in opere nostro ostendimus) **A** sequitur, & ij, qui eum defendere volunt, comprobant, quum eum tandem deserant, quem se defensurum erant polliciti; nostramque amplectantur sententiam; nec possint vnquam responderè Galeni locis, vbi idem quod nos sentit; nec ostendere quo modo sit actio deprauata, si quis gratis illis concedat esse actionem læsam. Maneat ergo illud inuiolatum dolorem nunquam actionem esse deprauatam, sed eam passionem, & molestiam, quæ ex actione nascitur, nempe ex perceptione rei molestantis. Atque hæc sufficiant de actionibus læsis, ex quibus discet medicus in consultationibus definire singula vitia actionum, & sua tueri, & aliena confutare, quæ certis rationibus haudquaquam sunt confirmata. Cæterum in excretionibus quædam explicanda, quæ pertinent ad excrementa, alia verò ad excretionis rationem. In excrementis quidem ipsis primò substantiam, deinde qualitates, tertio quantitatem, vltimo ordinem spectamus. Dicit itaque medicus sanguinem esse pituitam, bilem, melancholiam, serum, pus, cibum, semen, lumbricum, pinguedinem, alui excrementum, ramentum, vasis portiunculam, sabulum, lapidem, vel aliud denique, quod excerni potest: atque illud **B** ostendet vtile esse, & naturale excrementum, vel toto genere, vel alio modo præter naturam, idque uel sincerum uel cum alio mixtum; quod est substantiam, & differentias in ea repertas docere. Deinde pronuntiabit illud calidum esse, frigidum, siccum, humidum, durum, molle, acre, mordax, viscidum, friabile, crassum, tenue, lene, asperum, inæquale, & si quæ aliæ sunt qualitates tactiles notabit. Expendet postea colorem, an nigrum, album, rufum, pallidum, rubrum, aut alio simplici colore, aut vario sit præditum, spectabit & odorem, an grauius oleat, & quatenus vel nequaquam olfactum offendant. Quod si ex his fuerit excrementis, quæ sapore dijudicari possunt, vt saliuæ, sudor, aut pituita, vel sanguis, quæ per os reijciuntur, quæret an salsum, vel amarum, acre, aut dulce, insipidum, acidum, austerum sit, quod excernitur. Nec omittendum est, si cum vomitu aliquo, vel absque illo aliquid emittatur. In quantitate animaduertet, an multum, vel paucum, vel mediocre sit excrementum. Illud verò ad ordinem spectat, quid prius quid deinceps, & quid simul exeat. Plurimum enim refert si prius sanguis, quam pus, vel vrina per pudenda, aut **C** sterces, antequam pus, vel humor per vlcera intestinorum euacuentur. Iam verò ad excretionis rationem spectant modus, tempus, locus, & qualitas excretionis. Spectat enim modum, qui quærit, an paulatim, vel confertim, an sæpius, an vna vice solum, an plus vna vice, quam alia quidpiam excernatur. Tempus habet multa notanda. Nam plurimum refert scire, an continuè, vel per interualla fiat excretio. Quod si per interualla, an per certas accessiones, an potius incertas, & inordinatas excretiones moueantur: an in die decretorio, vel accessions, vel alio; an in morbi vel accessions principio, incremento, consistentia, vel declinatione, vel alio tempore fiat excretio, & an ea inueterata sit, vel recenter inceperit; an perseueret, vel non, postea quam cœpit. Præterea an statim emittatur excrementum, an longè postea quam irritatio aliqua incepit; ueluti in dysenteria plurimum refert, an statim post tormina excernatur sanguis vel alui excrementum, an multo postea. Denique tempus, quo incepit, quo durat, & peragitur excretio, præterire nequaquam oportet. Locum verò consideramus per quem fit excretio, an scilicet per vterum, uel intestina, uel **D** uentricam; an per narem dexteram, vel sinistram; uel secundum rectitudinem cum læsa parte, aut sine rectitudine per coniuncta uasa, an per uenam uel arteriam, an per locum naturalem, & consuetum, an per eum, qui præter naturam est, uel per aliam denique partem sanguis uel aliud quidpiam exeat. A quo an scilicet à toto, uel partibus, uel parte, dextra, sinistra, externa, interna, superiore, inferiore, anteriore, posteriore, principe, non principe; affecta, uel nequaquam laborante, à coniuncta, uel secundum rectitudinem posita, ac (ut semel dicam) à quo materia moueatur, ignorare non oportet. Expendimus & locum, in quem tendit, quod excernitur; an scilicet extra corpus, ut in sanguinis profluuiò, & alui fluxu contingit, mittatur humor, uel in corpus, idque vel in uniuersum; an in plures, ut in arthritide fit; an in unam duntaxat in qua spectamus, an nobilis sit, aut certe quæ publicum munus exerceat, an ignobilis, superior, inferior, anterior, posterior, dextra, sinistra, exterior, interior, rara, densa, mollis, dura, solida, caua, ossibus uel carne circumdata, aut alia ratione affecta. Cæterum qualitatem excretionis in hoc spectari dicimus, **E** si facile, difficile, cum dolore, aut sine illo, sponte, uel arte fiat. Item si iudicata, decretoria, symptomata, fida, infida, perfecta, uel imperfecta cum signis coctionis, uel absque illis peragatur. Ac in nonnullis excretionibus quædam sunt proprie notanda; ueluti in his quæ per os reijciuntur, refert nouisse, an spuendo, uel screando, uel tussiendo, uel uomendo, aliquid regeratur, quæ quidem ad excretionis qualitatem potius quam ad modum referenda esse puto. Dicit ergo medicus, si de his, quæ per aluum excernuntur agendum sit, sanguinem esse cum multa bile (si ita fortè contingat) & ob id partim toto genere, partim uerò sola qualitate, præter naturam esse excrementum; quodque utrumque sit copiosum; calidumque sentiatur in exitu, & acre, quod sanguis crassus, niger, bilis uerò flaua atque item crassa, nonnunquam uerò mixtione ferosi humoris pallida conspiciatur, & quod sanguis parum commixtus cum bile exeat; quodque grauius utrumque

que